

V. In Synodo omnia tractantur per congregationes privatas, congregationes generales ac solemnes Sessiones.

VI. Sex sunt congregationes privatas, scilicet: 1o. de Decretis; 2o. de Doctrinâ; 3o. de Liturgiâ; 4o. de Disciplinâ; 5o. de Studiis; 6o. de Administratione temporalium negotiorum Paroeciarum ac Ecclesiarum.

VII. Ante Synodum, aliquot congregationes, pro ejusdem directione fieri solent, quibus Episcopus præsideat indutus habitu Prælatitio, Rochetto scilicet et mozettâ. Officiales et ministri deputandi in hujusmodi Synodo, in primâ Sessione postea promulgandi, deliguntur alii ab Episcopo alique in congregatione consultorum. Episcopus destinare debet Præfectum hospitiorum. In congregatione consultorum deliguntur: 1o. Duo Promotores, unus Urbanus, Foranens alter; 2o. Synodi Secretarius, quem decet esse aliquem ex Canonici Cathedralis Ecclesiæ; isque alium quem maluerit, sibi socium adsciscit; 3o. Notarius Synodi qui solet esse Episcopi Cancellarius; 4o. Procurator cleri in unaquaque congregatione privatâ supradictâ qui omnium nomine, ea tamen qua decet modestia, ac reverentia, dicat in Synodo, quæ Clero displicent, quæque ex eis, quæ aut statuta, aut statuenda sunt, difficiliora et aspera ordinantur, etc.; 5o. Magistri cœremoniarum; 6o. Ostiarii; 7o. Æconomus.

VIII. Pridie hujus diei qua inchoanda est Synodus, habebitur prima Congregatio Generalis in qua promulgantur omnia quæ ab Episcopo cum Consultoribus ordinata sunt pro meliori Synodi directione. Quæ Congregatio sic indicitur à Synodi Secretario:

Illmus. ac Revmus. D. D. Marianopolitaanus Episcopus universis et singulis qui Synodo Diœcesanæ interesse debent mandat et præcipit ut die....mensis....anni....in....sistant se pro Congregatione Generali habenda.

De mandato Illm. ac Revm.

D. D. Marianopolitani Episcopi.

IX. Per duos aut saltem unum mensem, ante dictam diem, schedula manu Cancellarii subscripta Ecclesiæ Cathedralis valvis affigitur sub hujusmodi, aut simili tenore; *Synodus Diœcesana N. per Reverendissimum Dominum Episcopum N. indicta hoc anno, etc., mense, etc., die, etc. Deo adjuvante, in Cathedrali Ecclesia inchoabitur.*

X. Rursus tribus proximis diebus Dominicis, ante dictam diem, conveniens erit, si tam in ipsâ Ecclesia Cathedrali, per canticationem, quam in singulis Parochialibus Ecclesiis ac Capellis, per Parochos Capellanosque iterum atque iterum deunntietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, Sacramentum Pœnitentiæ, SS. Eucharistiæ sumptionem aliaque opera adhortantur, ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat.